



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Art. III. De Convenientia, & Necessitate Incarnationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

V. Q. 5. Quo ordine partes Humanitatis, & ipsa Humanitas à Verbo assumpta fuerint? Resp. 1. Ordinem temporis spectando, simul omnes fuisse, eodem instanti assumptas à Verbo, uti expressè in Concilio Constantiensi quoad can. 2. definitum est. Resp. 2. Ordine dignitatis, & mentionis primò assumptam fuisse ipsam Humanitatem (ut patet propter quam ipsæ partes assumptæ sunt) deinde animam, (quam velut meriti capax meritiò ante corpus intravit Deus) & postremò corpus & unionem. An verò prius animà etiam assumpta fuerit Humanitas, quàm partes illius, controversia est inter Theologos, in qua Vasquez & alii affirmativam, alii non minus probabiliter negativam tenent.

## ARTICULUS III.

## De Convenientia &amp; necessitate Incarnationis.

I. Q. 1. An conveniens fuerit Incarnatio? Resp. ex omni parte & sub omni respectu convenientem fuisse. Nam 1. Conveniens fuit respectu Dei, quia ex illa perfectiones Dei patet, quàm ex ullo alio opere relucebant. 2. Pariter respectu Verbi conveniens erat, quia decentissimum fuit, ut imaginabilis & naturalis imago Patris humanum genus ad imaginem Dei factum, & per peccatum corruptum pristino suo ordini restitueret, & ut Filii adoptivi & hæredes regni cælestis per eum efficerentur homines, qui est Filius naturalis Patris. 3. Naturæ quoque humanæ conveniens erat, quia decebat, ut sicut homo Deum offenderat, sic homo Deo satisfacere; Sed & major confusio Dæmonis erat, sub ea Natura, quam vicerat, vinceretur. Et præterea tota humana Natura, quantum est in se, ceciderat, & maxima ex parte per alienam voluntatem, quæ omnia, simul in Angelicâ Natura non reperiebantur, ita vel maximè suadebant, ut humana potius, quàm Angelica Natura assumeretur. 4. Conveniens quoque erat respectu totius universi, quia sic auctum fuit nobilissimo entis genere, & Natura duplici in una substantia subsistente, quæ non minus sunt possibiles, quàm una Natura tribus subsistentiis, subsistens. 5. Denique in ordine ad genus humanum reparandum conveniens erat, quia

sic misericordia & iustitia obviaverunt sibi, ut jam olim David Ps. 44. prædixerat.

II. Q. 2. *An moraliter fuerit necessaria Incarnatio, ita ut à parte rei quidem omitti potuerit, nunquam tamen omittenda fuerit?* Resp. ita quidem sentire Grandæm & Ruiz. fulissimè probantes Deum semper facere, quod optimum est, ita ut physicè quidem, non tamen moraliter aliter facere queat. Contrariam tamen sententiam cum S. Vasq. Lug. communiter à Recentioribus teneri.

III. Q. 3. *An physicè fuerit necessaria Incarnatio, ut sine ea genus humanum redimi non potuisset?* 2. Resp. affirmative ex communi sententia Theologorum contra omnes nullos antiquos existimantes posse quemvis hominem pro suo peccato satisfacere. Probatum autem sententiam partim ex S. Scriptura, partim ex SS. Patribus passim dicentibus necessariam fuisse Incarnationem ad genus humanum redimendum; partim quia nullus homo purus satisfactum potuisset pro peccato, quia vel offensa est infinitè gratiæ ut Mendoza, Coninck & alii voluerunt; vel quia Deus offensus est infinitè dignitatis, Persona verò satisfaciens finitè dundaxat; ut S. Thomas Saar. & communiter Recentiores docent; vel quia omnis satisfactio puri hominis supponit partem debiti jam condonatum, uti Vasq. de c. 5. & alii ab eo cõputant.

IV. Q. 4. *An Incarnatio Christi sufficiens fuerit ad omnem generalem satisfactionem pro genere humano præstandam?* Resp. affirmative ex communi Theologorum sententia, quod merita, Christi ob dignitatem infinitam Personæ inniti sint valoris; licet contrarium Scotus cum aliis non omnino improbabiler doceat.

V. Q. 5. *An Incarnatio Christi fuerit actus rigorosè iustitiæ?* Resp. 1. Deum juxta communiorem quidem sententiam Vasq. & aliorum non potuisse obligari ex iustitiâ ad debitum humano generi remittendum, quia sic alteri tribueret potius se, quod sine imperfectione non videtur admitti potuisse; contrarium tamen non improbabiler etiam Sauc. Pe. lent. Arriag. & alios tueri. Resp. 2. ex aliqua parte probabilius dici Christi satisfactionem fuisse actum rigorosè iustitiæ, quatenus scilicet homo veram Deo injuriam in-

quis honorem laedendo, & sic Christus ex iustitia hunc honorem reparare potuit, & reparavit, uti rectè plerique contra Vasquez docent.

CAPUT II.

DE CAUSIS INCARNATIONIS.

De finali potissimum & efficiente tam physica, quam materiali hoc loco sermo est; nam cum nulla forma ut quod pro altero extremo, sed sola subsistentia Verbi habeatur, hoc proprie dicta causa materialis & formalis dari non potest.

ARTICULUS I.

De causa finali Incarnationis.

I. Q. 1. An redemptio generis humani fuerit finis tota adaequatus Incarnationis? Resp. Ita sentire communem sententiam cum S. Thoma & tota sua schola, ac merito quod conformior sit hæc sententia, tum SS. Patribus, tum S. Scripturæ passim affirmantibus, Christum venturum non fuisse, nisi Adamus peccasset; responsio verò Scotistarum & aliorum asserentium Deum Incarnationem quoad substantiam decrevisse propter suam gloriam, & quoad modum duntaxat propter hominum Redemptionem, sine sufficienti fundamento excogitata videatur.

II. Q. 2. An si sola peccata actualia sine originali fuissent remissa, Christus adhuc venturus fuisset? Resp. iterum communi negativè; quia tunc principale motivum esset, quod est afferre remedium generi humano per Adamum lapsu. Qui tamen pro motivo principali cum Scoti gloriam Dei statuunt, consequenter etiam hoc loco affirmativam tuebuntur sententiam.

III. Q. 3. Quis ordo decretorum in Christi Incarnatione statueturque propter ipsius merita facta prædestinatione statuetur? Resp. varias esse in hoc ordine statuendo sententias, prout scilicet quis diversum finem adæquatam Incarnationi statuit; unde quia tales ordines non nisi magis ambagibus referri possunt; rectius omnino omituntur.

ARTI-